niri Hadrianus Cæsar consuli rescripsit: Abigei, inquit, cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autē durissime nō ubiq;, sed ubicunq; frequētius est id genus maleficij. Atqui diximus ex autoritate Virgilij & Seruij Hispanos maxime hoc crimine laborare.

ABROGARE legem, idem est quod tollere siue antiquare, quia à magistratu qui eam potestatem habet, populo interrogato, an uelit iubeatq; eam legem tolli, illo annuente, antiquatur tollitúrq;, quemadmodum eodem populo interrogato fuerat promulgata: unde & lex plerunque dicitur rogatio. Cice. lib. 2. de legibus: Eas, inquit, tu leges rogabis, quæ nunquam abrogentur. Liuius libr. 22. Plebiscitum primus ego antiquo abrogóq;. Est itaque abrogare legem idem propè quod derogare. Iurisconsultus tamen de uerborum significatione inter utrunque uerbum nonnihil distare facit. Derogatur, inquit, legi, cum pars detrahitur: abrogatur, quum prorsus tollitur. Adde tu quod abrogatur, quum prioris legis infirmandæ causa promulgatur altera. Sermonis Latini ignari uulgari uoce decepti, pro eo quod esse debet abrogare siue derogare legem, ipsi reuocare dicunt, quum sit reuocare, ut autor est Varro de lingua Latina, rursus in cor uocare, hoc est renouare. Iuuenalis de Domitiano, qui legem Iuliam iam obliteratam dormiētemq; excitauerat, sic inquit: Qui tunc leges reuocarat amaras Omnibus, atque ipsi Veneri Martiq; timendas. Virgilius primo Aeneid. Reuocato à sanguine Teucri. id est, renouato, quippe qui iam propemodum extinctus erat.

ACINACIVM uinum est quod ex uuarū folliculis

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación